

28. *Tertium consectarium.* — Tertio, colligitur quomodo peccatum originale dici possit voluntarium, non voluntate propria, sed capitatis, quia scilicet secundum moralem et prudentem existimationem, quasi omnium filiorum ejus voluntas reputanda est, quod bene exponit Augustinus, *Retractationum*, cap. 15. Et potest sic declarari: nam si quisque nostrum sponte sua voluntatem propriam ita in voluntate alterius transferret, ut quod ille vellet, id se velle profiteretur, jam posset moraliter dici voluntate alterius velle quod ille vult: ad hanc ergo rationem intelligendum est Deum voluntatem omnium nostrum in Adami voluntate posuisse quoad amicitiam et inimicitiam erga Deum, ut scilicet penderet ex observatione illius praecetti, quod non solum juste, sed etiam rectissime, magisque in nostrum commodum facere potuit Deus non expectato nostro consensu, non solum quia erat supremus Dominus nostrae voluntatis, et rerum nostrarum gubernator; sed etiam quia totum illud pactum erat in nostrum commodum et bonum: propterea enim præstitit Adæ gratiam, auxilia et dona, omnesque interiores inimicos abstulit, et unum tantum, ac levissimum præceptum illi tanquam capiti imposuit, ut esset magis idoneus ad obediendum, atque adeo ad conservandum nobis justitiam quam ad peccandum. Adde præterea totum hoc negotium, de donis supernaturalibus fuisse, sine quibus homo ex natura sua nasci deberet, etsi nullus peccasset: unde omnia ista fuisse conferenda Adamo, et nobis, illo perseverante, summa erat justitia: quod si in nobis nullum sit peccatum actuale, nullum quoque sit documentum in naturæ bonis, quæ ipsi ex se debita sunt.

29. Alio modo explicari potest ex D. Thoma, quæstione illa 81, art. 1, ex similitudine a corpore, et membris unius corporis humani desumpta. Nam sicut actio manus licet voluntate ipsius manus non sit voluntaria, attamen quia relata ad voluntatem voluntaria est, idem censetur peccatum. Ita inquit, quia tota Adæ posteritas quasi corpus unum consideretur, cuius ipse erat caput et voluntas totius corporis, censetur moraliter in capite residere, ideo defectu parvuli, licet illius voluntate non sit voluntarius, tamen relatus ad voluntatem capitatis, est voluntarius, et ideo peccatum. Quæ analogia confert quidem ad rem exponentiam, non tamen putandum est similitudinem tenere in omnibus, sed in his tantum quæ per se sunt necessaria: scilicet quod sicut omnia membra naturalia efficiunt unum totum, quod una vo-

luntate regitur; ita et Adam, et omnes posteri ejus, qui in ipso virtute continebantur, moraliter constituant unum corpus, quod etiam una lege et voluntate tunc regebantur: deficit vero similitudo, quia unio ibi est naturalis, hic tamen moralis, et ex pacto Dei, non ex sola natura rei orta, et ideo in illo exemplo peccatum membris et capitatis unum omnino est: hic autem in singulis membris peccata sunt singula et distincta, et peccatum solum est unum propagatione et origine: hic etiam fit, ut peccatum membris tantum dicatur peccatum denominatio extrinseca: at vero peccatum originale, licet non sine ordine ad extrinsecam voluntatem sit peccatum, in se tamen intrinsece est peccatum, quia non est per modum actus, sed per modum habitus, et in subiecto apto.

30. *Quartum consectarium.* — Ex quo etiam solvitur difficultas, quæ esse posset in hac et precedente propositione. Nam illa privatio, quæ est in nobis, est a Deo, et est pena peccati Adæ, et effectus ejus; quomodo ergo potest habere propriam et veram rationem culpæ, ea enim solvenda sunt eo modo, quo solvimus similia cum de peccato habituali ageremus: privatio enim gratiæ non est a Deo influente, sed non agente, et adhuc eo modo non est ab illo formaliter quatenus est peccatum, sed ut est veluti materiale peccati, sic enim potest esse pena peccati Adæ: sic etiam unum peccatum possit esse effectus alterius, et lato modo pena contracta ab ipso.

31. *Ad fundamentum Pelagii, sectione præcedenti num. 1.* — *Ad primam confirmationem ib.* — *Ad secundam.* — Ex his manet solutum primum fundamentum, quod in præcedenti sectione, n. 1, Pelagiana heres asserebat, nam licet repugnet peccatum nullo modo esse voluntarium, atque adeo esse prorsus naturale et necessarium; tamen non repugnat esse tantum voluntarium moraliter, voluntate alterius suppositi, et precipue, quando tale peccatum non actuale, sed habituale est, et eodem modo repugnat esse naturale, id est, cum ipsa natura in generatione contractum, et necessitate quadam, supposita priori voluntate. Ad primam confirmationem latius infra, nunc breviter dicitur æqualitatem esse in hoc servatam, quod sicut inobedientia Adæ nobis nocuit, ita profusset obedientia si obediret, ut caput, non ut particularis persona, quia totum pacatum Dei ad solam illam legem de non manducando cibo referebatur. Secunda confirmatio non indiget solutione, nam Deus non imputat nobis alienum peccatum, sed proprium cuius-

DISPUTATIO IX. SECTIO III.

609

que, licet alterius voluntate contractum, quod justissime fieri potuisse ostensum est.

32. *Quæstiuncula una suborta expeditur.* —

Ex dictis præterea expeditur nonnulla dubia. Primum, an peccatum originale sit cum reliquis univoce peccatum? nam Capreolus, 2, distinct. 90, ad argumenta, fatetur quidem peccatum esse, sed nimis æquivoce: aliis vero videtur hoc esse contra fidem, quia si non est univoce peccatum, neque simpliciter tale erit. Ego vero existimo omne peccatum habituale comparatum ad actuale continere quamdam analogiam, quia ratio peccati primo et per se reperitur in actuali; ex consequenti vero in habituali, per ordinem scilicet ad actuale, in quo non cernitur solum differentia majoris vel minoris malitiae, sed quidam veluti ordo unius ad alterum, in quo consistet analogia. Antecedens vero patet, quia peccatum habituale, non est voluntarium, nisi per ordinem ad actuale, et similiter non est deviatio a lege, nisi per illud, quia lex non cadit in habitum, nisi per actum, neque propterea sequitur habituale peccatum non esse simpliciter peccatum, quia analogia hæc non consistit in sola denominatione extrinseca: nam vere in se et intrinsece habituale peccatum est peccatum, licet non sine ordine ad alterum, ad eum modum, quo creaturæ sunt entia in ordine ad Deum, vel accidentia respectu substantiae. Secundo existimo rationem peccati habitualis univoce reperiri in originali et personali: ratio est, quia licet revera peccatum personale magis voluntarium sit, differentia tamen magis et minus, quando est sine ordine, non constituit analogiam: hic autem nullus est ordo, quia peccatum originale, neque rationem voluntarii, neque rationem transgressionis legis, atque adeo neque rationem peccati habet ex ordine ad personale peccatum, ut per se constat.

33. *Secunda quæstiuncula resolvitur.* — Secundum dubium, an quando parvulus contrahit hoc peccatum, dicatur vere et proprie peccare? dicendum proprie et simpliciter non peccare, quia verbum ipsum *peccare* manifeste indicat actuale peccatum: sed dici debet generari in peccato, vel nasci in illo, sicut ille qui semel peccavit, non dicitur amplius peccare, licet in peccato maneat. Dices, ad Rom. 5, habetur, *Omnis in Adam peccaverunt.* Item parvulus in eo instanti fit peccator; ergo peccat. Respondetur non fieri peccatorem committendo, sed contrahendo peccatum. Paulus vero non ait simpliciter peccare nos, sed cum addito, et in præterito peccasse nos in Adamo,

unde postea simpliciter subdit, *peccatores constituuntur multi.*

34. *Tertia quæstiuncula enodatur.* — Tertium dubium potest definiri hic quod sit majus peccatum originale, an veniale? nam divus Thomas, 3, q. 4, art. 4, sine ulla distinctione respondet veniale esse intrinsece majus quam originale. Idem tamen, q. 5, de Malo, art. 1, ad 9, ait respectu personæ esse gravius veniale, quia magis voluntarium: tamen respectu naturæ majus malum esse originale. Respondendum tamen videtur cum peccata hæc sint diversorum generum, vix posse mode comparari: simpliciter vero majus malum et peccatum videri originale, quia privat hominem gratia Dei, non autem veniale, licet alia ratione secundum quid, veniale sit gravius in ordine ad personam, quia magis voluntarium, propter quod is qui peccat venialiter, reprehensione dignus est, non qui originriter.

SECTIO III.

De causis peccati originalis.

1. *Expediuntur causæ tres.* — Constat originale peccatum nullam habere causam finalē, quia per se non est intentum, sed per accidens sequitur. Formalem quoque non habet præter quidditatem suam: de materiali vero, seu subjecto ejus, licet theologi diversa sentiant (Durandus enim et alii volunt esse in appetitu sensitivo, Scotus et Bonaventura in voluntate) probabilior tamen videtur sententia D. Thomæ, 1, 2, quæst. 83, art. 2, dicens primario esse in essentia animæ, consequenter vero in voluntate, quia gratia, seu justitia primario est in animæ essentia, ac totus homo fit hoc peccato Deo inquisitus, et ingratus per se primo: voluntas autem ab ultimo fine consequenter aversa, nam ad ipsam primo pertinet, etiam conversio ad eundem finem, quæ omnia explicanda et defendenda sunt eo modo, quem supra tradidimus, cum de peccato habituali ageremus. De causa ergo efficiente sit.

Prima propositio de causa efficiente. — Prima propositio. Causa hujus peccati quod in nobis fit, ipsum fuit peccatum Adæ, quod se et omnes posteros a Deo avertit. Patet fere ex dictis, et ex Paulo, ad Roman. 5, per unum hominem, etc., et infra explicabitur.

2. *Secunda propositio bipartita.* — Secunda propositio. Peccatum actuale Adæ non potuit esse causa physica efficiens in singulis homi-

nibus peccatum originale, sed est solum causa moralis. Videtur clara satis propositio quoad primam partem, quia causa physica est, quæ vere et realiter insuit in effectum: actus autem Adæ id non potest, quia non est, quando singulorum hominum peccata incipiunt: Secunda pars constat ex priore, quia non restat modus alius quam moralis efficientiæ, qui explicari potest primo per modum meriti et demeriti. Namque Adam peccando meruit posteros omnes privari gratia, et consequenter nasci inimicos Dei. Quibusdam hæc explicatio non placet, quia similiter, si Adam perseveraret ac obediret Deo, mereretur posteris gratiam et justitiam de condigno: si ponamus Adam nihil meruisse, sed tantum non peccasse, id satis esset, ut tota posteritas nasceretur in justitia et gratia absque ullo merito Adæ: unde Driedo, lib. 2, de Captivitate et redemptione, tract. 2, cap. 2, part. 4, negat Adam rationem hanc meriti ex justitia, sed per modum, inquit, naturæ communicaretur, si ipse perseveraret, et similiter per modum naturæ communicatur peccatum ipso olim peccante. Hoc ergo posito dicendum est illud peccatum fuisse causam moralem per modum efficientis quia illud est quasi radix, qua posita, et applicata subiecto ab illa statim moraliter derivatur peccatum; vel etiam quia, ut Paulus ait, ipso peccante, omnes in illo censemur peccavisse.

3. *Tertia propositio.* — Tertia propositio. Hoc peccatum originale prout in nobis fit, non habet causam physicam efficientem, neque eget illa. Probatur, quia solum est privatio, ut ostendimus: privationes autem per se non indigent his causis. Dices saltem posse habere causas privativas, seu non agentes. Respondetur eo modo jam supra dixisse nos, posse Deum aliquo modo esse causam quoad materiale, quod est in hoc peccato, non tamen ipsius peccati, ut etiam ostendimus, et bene declarat divus Thomas, quæstiōne quarta, de Malo, articul. 1.

4. *Dubium unum.* — Ex quo facile solvitur dubium, per quas rimulas hoc peccatum ad nos ingrediatur, ut objiciebat Augustino Julianus, lib. de Nuptiis, cap. 28, ob quam difficultatem Magister et alii commenti sunt illam qualitatem morbidam in semine, et Capreolus, distinctione trigesima-prima, quæsti. prima, posuit in semine quamdam qualitatem saltem intentionalem, quæ possit originale peccatum in omnia efficere: quod prorsus est falsum et improbabile, tum propter rationes factas con-

tra Magistrum: tum quia est superflua qualitas, quia impossibile est privationem per se fieri efficienter ab aliqua qualitate. Recte igitur Augustinus solum respondet: quid quærēs latentem rimam, cum habeas apertissimam januam: *per unum hominem peccatum intravit in mundum*: quasi diceret, præter hanc non oportere aliquam quærere causam per se hujus peccati. Quocirca actione seminis solum fit, ut homo ex Adamo nascatur, quod naturale est, ex quo (posito jam Adæ peccato sine alia physica efficientia) fit ut hic homo nascatur aversus a Deo voluntate sui capitatis: quare quod Augustinus, 4, contra Julianum, capite quarto, et libro de peccatorum Meritis, cap. decimo-sexto, et secundo de Nuptiis, capite vigesimo-sexto, scribit, peccatum hoc fieri propter concupiscentiam, vel libidinem, quæ in generatione hominis adjuncta est, non est intelligendum concupiscentiam, vel libidinem, esse causam quæ peccatum originale in prole efficiat, tum propter dicta, tum quia cum homo concipitur, non est jam illa concupiscentia: tum denique, quia sepe in illa non est macula: intelligendum ergo istum generationis nostræ defectum ex peccato primi parentis manasse, et hanc defectuosam generationem esse viam, per quam originale peccatum suo modo transfunditur, atque eodem modo exponentus est divus Thomas, prima secundæ, quæstiōne octuagesima-tertia, articulo primo: cum ait in semine esse hoc peccatum originale, tanquam in causa instrumentalis, non quod in illo sit aliqua vis productiva peccati, ut sic, sed quod semen sit instrumentum quo producitur filius naturalis Adæ, quam productionem consequitur nunc hoc peccatum.

5. *Dubium alterum.* — Ex quo etiam solvitur aliud dubium, quomodo cum anima creaturæ a Deo, possit statim maculari. Propter quod multi de modo productionis animæ dubitarunt, ut Augustinus, libro de Origine Animæ, et epistola vigesima-sexta, et 157, et alibi. Respondetur tamen, licet anima creetur, ut fides docet, tamen homo vere generatur, et producitur ab homine, et ex semine Adæ, neque anima ipsa creaturæ, nisi ut sit pars hominis: et ideo simul creaturæ et unitur, quare totus homo quilibet genitus ex Adamo comprehensus est sub lege Dei, per quam voluntates hominum positæ fuerunt in voluntate Adæ. Quod si quæras cur Deus creat animam, quam scit statim inficiendam peccato, respondet divus Thomas, illa quæsti. octuagesima-quinta, art. primo, ad tertium: primo, quia commune bo-

num universi præfertur privato. Secundo, quia ipsi homini melius est sic esse, quam omnino non esse. Tertio, quia illa macula non est perpetua, cum Deus constituerit modum quo possit deleri.

6. *Tertium dubium.* — Tertio intelligitur ex his, quare ex parentibus justis filius, peccator generatur, quia scilicet non generatur ab illis ut sunt justi, sed ut sunt filii Adæ. Ita Augustinus, lib. secundo, de peccatorum Meritis, capit. octavo nono et decimo, et lib. sexto, contra Julianum, cap. 2 et 3; cuius rationis sensus est, quia solum peccatum Adæ fuit peccatum capitatis, atque adeo totius naturæ: justitia autem personalis, sicut et poenitentia Adæ, et ideo efficacius est peccatum Adæ, licet sit parens remotus, ad transferendum peccatum, quam justitia proximi patris ad gratiam communicandam. Vide Magistrum 2, dist. 31, et ex his manet solutum secundum fundamentum hæresis Pelagianorum.

Quæstiuncula nonnullæ circa derivationem peccati originalis.

7. *Prima quæstiuncula.* — *Solum internum Adæ peccatum sufficeret ad transfusionem in posteros.* — Jam petes primo quodnam Adæ peccatum fuerit causa originalis peccati. Respondetur fuisse peccatum illud quod commisit contra legem prohibentem esum fructus arboris scientiæ boni et mali, nullumque aliquid præter hoc peccatum potuisse esse causam. Prima pars constat ex pena illa peccato imposta, *in quocumque die comederas, morte morieris*. Quæ verba a sanctis intelliguntur dicta toti naturæ humanae, ut patet ex illis verbis, *quia audisti vocem uxoris tue, maledicta terra, etc.* Idem est sensus Pauli, ad Roman. 5, cum dicit, *si unius delicto multi mortui sunt, et clarus infra; si enim unius delicto mors regnabit, etc.* Quod unum peccatum sancti intelligent fuisse illam inobedientiam: Tridentinum quoque, sessione quinta, id aperte confirmat. Secunda pars probatur, quia Deus nullam legem impo-suit Adæ tanquam principio et capitii totius naturæ, nisi illam cohibentem cibum, ut patet ex Scriptura. Confirmatur: quia ex sententia Augustini et aliorum, primum Adæ peccatum fuit superbia; ergo si propter cetera peccata et non propter illud tantum, nasceremur in peccato, non esset verum, per unum peccatum, sed per plura, mortem ad nos transisse. Quare cum sancti videntur dicere primum Adæ peccatum fuisse causam perditionis humanæ na-

turæ, loquuntur de peccato illo perfecto et completo, quod exterius apparuit, et expresse in Scriptura narratur. Quod docet divus Thomas 1, 2, quæsti. octuagesima-prima, articul. secundo. Quærenti vero, an si Adam solo interiori actu peccasset contra illam legem, nobis noceret; respondendum, licet nihil videatur certum, Deus enim potuit utroque modo id statuere, verisimilius videri etiam transgressionem interiorum futuram fuisse sufficientem, quia illa lex simpliciter erat imposita toti naturæ, et illa interior esset perfecta transgressio ejus; esset ergo aversio et inobedientia totius naturæ, et de facto nunc non transfertur ad nos propter exteriorem actum, qui malitiam non addit, sed propter id quod veram habet rationem aversionis et culpæ.

8. *Secunda quæstiuncula.* — Secundo petes, an peccatum Evæ fuerit etiam causa nostri peccati originalis, atque adeo illa peccante, et non Adamo, homines nascerentur in originali, quod tractat D. Thomas, 1, 2, q. 81, art. 5, et negative respondet: utitur tamen illa ratione, quod mater sit principium materiale in generatione, non efficiens; sed quidquid de ratione ipsa sit, sententia vera est, ex illo Pauli, *Per unum hominem peccatum in mundum intravit*; ratio vero est, quia solus homo Adam fuit constitutus caput generis humani, et ideo sola ejus voluntas reputabatur voluntas totius naturæ.

9. *Tertia quæstiuncula.* — Tertio petes similiter, an peccatum alterius parentis præter Adamum transfertur ad filium, id est, si, Adamo non peccante, Cain peccaret, posteritas Cain nasceretur sine gratia, Scotus enim, dist. 31, affirmat in eo casu omnes illos homines nascituros in peccato; quod etiam sentit Driedo, libro secundo, de Redempione et captitatem generis humani, tract. 2, cap. 2, in fine, et fuit sententia D. Thomæ, q. 5, de Malo, art. 4, ad 8, sed nullum video hujus sententiae fundamentum. Quare opposita sententia vera videtur, quam tenet D. Thomas, illa q. 81, art. 2. Ratio est, quia solus Adam fuit caput suæ posteritatis, et cum illo fuit quasi fœdus illud contractum, quod patet primo, quia de illo tantum est nobis revelatum, et non de aliis. Secundo, quia ita fuit conveniens, alias omnium filiorum Adæ salus ex voluntate singulorum et omnium parentum penderet, mortem vero quilibet eorum per se posset causare. Tertio, quia Adamus, et sibi, et toti posteritati justitiam perdidit; ergo si perseverasset, eam posteritati conquereret: alias non esset æqua-

lis pactio. Quarto, quia nunc parens justus non transfert suam justitiam ad filium; ergo similiter, si duraret status innocentiae, pater injustus non transferret suam injustitiam ad filium. Quinto, quia alias nunc etiam dici possent peccata Cain vel aliorum filiorum Adæ transferri ad filios.

10. *Quarta quæstiuncula.* — Quarto petes, an originale peccatum in singulis hominibus sit unum, vel plura, in qua re Augustinus, in Enchirid., cap. 44, epistol. 86, dubius esse videtur. Dicendum est tamen in unoquoque esse unum tantum originale peccatum, quod colligitur ex Paulo, ad Romanos, 5, et Tridentino, sessione 5. Estque communis Theologorum; et ratio est, quia unum solum peccatum Adæ est causa, et origo istius peccati: unde unica tantum voluntate censemur in ipso peccasse. Neque obstat nonnunquam in Scriptura hoc peccatum nominari in plurali, ut Psalm. 50, *Ecce in iniquitatibus conceptus sum*, et saepe alias dicitur Christus venisse in remissionem peccatorum, quomodo loquitur Damasus papa, epistola ad Episcopos Orientis, refertur, lib. 8 Tripartite, capite 13. Nam saepe plurale pro singulari ponitur, vel certe id fit ad significandum peccatum hoc, esse multorum originem, et formaliter unum, multa autem virtute, ut D. Thomas notavit, quæst. 82. Consule, si placet, pro dictis hactenus, lib. quarto, de Opero sex dierum.

SECTIO IV.

An peccatum originale ad omnes Adæ filios derivetur.

1. Explicatis causis originalis peccati, oportet nonnulla de generali ejus propagatione dicere, in quo duo occurunt videnda. Primum, an soli filii Adæ naturaliter ex illo genito hoc peccatum contrahant. Secundum, an omnes.

Prima propositio bipartita. — *Primum Corollarium ex hac propositione.* — Prima propositio. Soli homines et omnes naturaliter ex Adamo generati contrahunt hoc peccatum. Est ex communi sensu, et traditione Ecclesiæ, et colligitur ex ad Roman. 5, ubi bene rem explicat Anselmus, et Origenes, libro quinto, ad Romanos, et Augustinus, decimo Genesis ad litteram, cap. 20, D. Thomas, 1, 2, quæst. 81, articul. 8. Ratio a priori est lex divina et voluntas, qua statutum est, ut Adam tantum eorum hominum esset caput, qui ab illo natu-

raliter generantur, de potentia enim Dei absoluta fortasse non repugnaret aliter fieri pactum: congruentia quoque non deest, quia non erat expediens Adamum communicare illi culpam, cui non tribuebat naturam. Qua ratione, inter alias, Christus ex vi sue conceptionis erat immunis a peccato; idemque dicendum de quovis homine qui a Deo crearetur, vel producetur ex alia materia, ut notavit D. Thomas, illa quæst. 81, art. 4, unde sequitur primo, Eam non habuisse gratiam et justitiam originalem dependenter ab Adamo quia non processit ab illo per naturalem generationem.

2. *Secundum corollarium.* — Secundo sequitur, si ipsa Eva non peccasset, non amissuram originalem justitiam: unde, cum Paulus inquit omnes in Adam peccasse, intelligitur de filiis, non de uxore: quare Adam caput quidem Eve fuit politicum in ordine, scilicet ad res matrimonii, non vero fuit caput in ordine ad justitiam, vel culpam, nec id expediens foret; tum quia ex utroque unum integrum principium speciei humanæ constituebatur; tum propter aliam rationem, quam statim subjiciam.

3. *Tertium corollarium.* — Tertio sequitur e contra, si Eva tantum peccasset, amissuram non solum gratiam, sed etiam originalem justitiam, atque ita de facto amisit per proprium peccatum: in quo est deceptus Catherinus, super Genesim, et ad Romanos, quinto, ut in tractat. de Opero sex dierum, libro tertio, capite decimo-tercio, late dicimus. Quid autem tunc fieret: si casus ille continget, divinæ providentiae esset relinquendum, in eodem tractatu videre licet.

4. *Quartum corollarium trimembrum.* — *Primum membrum.* — *Secundum membrum.* — *Tertium membrum.* — Quarto sequitur, si Adam ante primum peccatum generaret filium in justitia quidem generaturum, an vero si post ita genitum peccasset, filius genitus in justitia ejusque posteritas amissuri fuissent justitiam, nihil certum nobis esse potest, quia totum pendet ex modo pacti et voluntate Dei: videatur tamen verisimile primo in eo casu omnes genitos ab illo filio Adæ nascituros in peccato originali, quamvis proximus parens esset justus: ratio insinuata est, quia justitia proximi parentis semper est personæ particularis, illeque nepos vere esset genitus ex Adamo peccatore, atque ejus voluntas censeretur ex pacto Dei constituta in voluntate Adæ. Secundo de tali filio jam antea in justitia genito, videtur probabile non amissurum gratiam, nec justi-

tiam coram Deo propter subsequens Adæ peccatum. Primo, quia Deus non aufert gratiam suam ab eo qui jam illam continet, nisi ipse peccet per propriam voluntatem, quia Deus non deserit nisi prius deseratur. Colligiturque ex Augustino, epistola trigesima tertia ad Bonifacium, ubi generaliter ait, hominem cum in se ipso est aliter effectus ab eo a quo est genitus, non posse sine consensu proprio fieri peccato obnoxium, quia voluntas filii non videtur convenienter poni in voluntate patris, nisi pro tempore quo filius non habet propriam, quæ ratio maxime procedit de jam adultis; sed prior ratio generalis est. Confirmatur, quia hoc peccatum non transfunditur, nisi per generationem naturalem: sed tune facta fuisset sine peccato generantis, ut ponitur; ergo, etc. Tertio de donis aliis originalis justitiae pertinentibus ad complementum status innocentiae, ac sine quibus poterat consistere amicitia Dei. Utrumque probabiliter defendi potest, scilicet, vel quod illa auferrentur, siquidem propter peccatum capitum totus innocentiae status destrueretur, vel quod conservaretur a Deo, quia dona ejus sunt sine penitentia, Rom. 11, nullumque sit inconveniens tales hominem conservari in singulari perfectione, quamvis cæteri lapsi essent.

5. *Quid de secunda parte propositionis quidam senserint.* — Circa secundam partem conclusionis difficultas nascitur ex verbis Pauli ad Romanos, 5: *Unius delicto multi mortui sunt*; et infra, *peccatores constituti sunt multi*, quæ verba exponens Theodoretus, in Epitome divisorum officiorum, cap. 11, dicit Paulum usum fuisse illo verbo *multi*, quia non omnes transgressores legis facti sunt propter peccatum Adæ, sicut non omnes sunt justi propter Christi justitiam. Huc etiam spectat error Calvinus dicentes omnes pueros natos ex infidelibus contrahere originale peccatum, non vero natos ex fidelibus, quia illis non imputatur. Et inter scholasticos etiam est controversia de sensu illorum verborum Pauli. Cajetanus, loc. cit., 1, 2, dicit vim eorum verborum solum esse, omnes Adæ posteros incurrisse necessitatem, vel debitum contrahendi originale peccatum, non vero contraxisse peccatum ipsum. Confirmatur: nam eodem modo ait Paulus contraxisse omnes peccatum sicut mortem: non est autem certum omnes in effectu contrahere mortem, nam probabilis sententia est aliquos nunquam morituros, ut divus Thomas, 1, 2, quæstione 87, artic. 3, ad 1, docet; ergo, etc. Confirmatur secundo, quia necessitas contra-

hendi peccatum sufficit, ut omnes indigeant gratia Dei et redemptio Christi, quæ est intentio Pauli. Alii vero ex Thomistis, et Ferrariensis, 4, contra Gentes, cap. 5, omnino improbant sententiam Cajetani, ex ea enim sequitur non esse firmum in fide omnes reipsa nasci in originali peccato, sed solum nasci obnoxios. Quod esse posset verum etiamsi nullus conciperetur in peccato: unde sententia Calvinii non posset damnari ut heretica, et similiter non esset nunc erroneum asserere multos nasci sine peccato originali etiam præter Beatam Virginem, sicut non est erroneum affirmare aliquos nunquam morituros; illud tamen esse erroneum docet divus Thomas 4, distinctione 34, articulo quarto, et quest. 4, de Malo, articulo quinto, sed fortasse haec dissensio inter scholasticos est de nomine; sit ergo.

6. *Secunda propositio exprimens secundam partem præcedentis propositionis.* — Secunda propositio. Omnes filii Adæ ita incurruunt necessitatem contrahendi originale peccatum, ut illud in re ipsa contrahant, nisi privilegio Dei singulari præveniantur. Hæc est de fide certa, ex dictis initio hujus materiæ, et definita, sess. 5 Trident., et hoc sufficit contra errorem Calvinii, præterquam quod de fide etiam certum est filios fidelium indigere Baptismo propter peccatum, quod in eis est, et hunc etiam esse sensum Pauli constat ex Tridentino, et ex verbis aliis ejusdem capititis, dicit enim Paulus, *Omnes in Adam peccasse, et per unius delictum in omnes homines in condemnationem:* unde recte Anselmus et Origenes advertunt ibi *omnes et multis*, idem significare. Sensus itaque est: *Multi peccaverunt*, id est, non unus tantum, sed *omnes*, qui ab illo geniti sunt: et eodem modo dicit multis fuisse justificatos per Christum, scilicet omnes qui in ipso sunt regenerati, nisi forte, ut Anselmus etiam notat, velimus nomine *mortis*, quæ multis ibi tribuitur, intelligere non primam mortem peccati, sed secundam, scilicet eternam mortem, quam non omnes, sed multi propter originale peccatum contrahunt, ad quem modum posset exponi Theodoretus, licet revera obscure loquatur.

7. *Tertia propositio.* — Tertia propositio. In citatis Scripture locis non docetur nemini fuisse concessum privilegium non contrahendi re ipsa originale peccatum, cui natura sua erat obnoxius. Hoc intendit præcipue Cajetanus, quod negare recte non possunt, qui eum impugnant: nam fere est certum ex Tridentino,